

rectae proportionis exegit ratio, efiximus. Quoniam autem in Regno Hungariae Partibusque eidem adnexis illa observaretur Modalitas, quod quivis Comitatus Competentia Supremis Comitibus aliisque Officialibus et Servitoribus Comitatus Salaria ex Cassa sua Domestica persolvat: Ideo hic quoque ea Methodus observanda erit, ut universa Salaria et Stipendia Magistratualium et eorum spectantium aliaeve quaevis particulares Comitatus Expensae exinde persolvantur; Cassa haec tamen Domestica cum Contributionali nunquam commisceatur et confundatur, verum separatae et distinctae super hoc Rationes a Perceptore quotannis indispensabiliter exigantur, exactaeve revideantur, censuratae vero utriusque Ordinis Rationes, esto ab invicem separatae connexive tamen se habentes, Sigillo Comitatus et Subscriptione Magistratualium authenticatas, constituto in Regnis Croatiae, Dalmatiae et Sclavoniae Consilio Regio Varasdinum mittantur, cui nunc dicto Consilio Regio in omnibus ad instar aliorum Comitatum Regnorum Croatiae et Sclavoniae suberit, ac medio ejusdem de cunctis demissas suas Repraesentationes Majestati Nostrae facturus et benigna etiam Mandata Nostra eodem canali percepturus est. Cum vero pro pertractandis publicis Negotijs Domus quaequam Comitatus, qua omnes reliqui etiam Comitatus provisi essent, foret necessaria, pro tali in deligendo apto Loco errigenda, vel vero aere parato comparanda, errectaeque vel comparatae Domus Instructione Cassa Domestica Comitatus, unde similes erogationes fieri valerent, nulla adhuc praeexistente, Anticipationem Decem Mille florenorum ex Aerario Nostro Camerali, ea tamen cum Obligatione: Quo Summa haec intra quinquennium cum annua rata bonificetur, benigne resolvimus; Ipsam autem Bonificationem, habita reflexione Contribuentis novelli hujus Comitatus Populi, ea ratione praestandam clementer admittimus: Ut ex interimaliter Comitatu huic admensa Ter Mille Septingentorum Quadraginta Duorum florenorum, Quinquaginta Cruciferorum, Quotta Contributionali, per Quinquennium, donec nimirum anticipata haec Summa integre expuncta fuerit, Bis Mille florenis in Sortem Quanti Contributionalis imputatis, Cassae Militari nonnisi Annui Mille Septingenti Quadraginta Duo floreni, Quinquaginta Cruciferi, inferantur. Denique quum ad plenum et perfectum Comitatus hujus Stabilimentum ejusdemque Instaurationem Concessio Sigilli Authentici, sub cujus videlicet munimine Judiciariae Sententiae, Contractus item Solennes, nec non Emptiones ac Venditiones aliaeque publicae Forenses videlicet et Politicae Negotiationes et Expeditiones firmiores ac fidedigniores reddi possent, quaeque ad perpetuam rei memoriam reclarumque Actionum Normam ut plurimum faciunt, adhuc desideraretur: Hinc ad humillimam Fidelium Nostrorum totius Universitatis Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium novelli hujusce Comitatus Szeverinensis Supplicationem, ex prima sua in Mercopail celebrata Congregatione Nostrae propterea factam Majestati: Quo idem ex gratia et Clementia Nostra Caesareo-Regia ad legalem caeterisque Comitatus parem positus Activitatem Informationes suas altioribus Instantijs Nostris reliquorum regulatorum Comitatum adinstar sub fidedignitate de Lege Regni Comitatus competente submittere, Processusque Juridicos coram se promovendos ac alias tam in Juridicis quam Politicis occurrentes Expeditiones suas sub authentico facere, Negotia denique Comitatus hujus tanto majori cum Exactitudine manipulare possint, ex speciali Caesareo-Regia Gratia Nostra deque suprema Potestatis Nostrae Plenitudine id clementer indulgendum et concedendum esse duximus: Quatenus Sigillum pro